277. 1 II

D.
FRANCISCI MARIAE DEL MONACO
SICVLI DREPANITANI
E Congregatione Clericorum Regularium
HORA SVBSECIVA
SERENISSIMO
IOANNI CORNELIO
VENETIARVM PRINCIPI
S A C R A
Siue
HONORES PVPLICI
BEATO ANDREAE AVELLINO CL. REG.
AB VRBANO VIII. P.O.M.
Decreti
Habiti Patauij in Templo SS. Simonis & Iudæ
A Patribus eiusdem Congregationis.
IV. Id. Nou. A. D. cIɔ Iɔcxxiv.

1872

FELICISSIMO INCLYTO

ac semper Augusto

IOANNI CORNELIO

VENETIARVM DVCI.

D. Franciscus Maria del Monaco Clericus Regularis.

HONORES quales animus concepit BEATISSIMO SENI nostro nuper Patauij dedimus; quales stylus excepit, Tuo Nomini SERENISSIME PRINCIPVM consecramus. Non inuident Principibus Diui, sed amant, ceu sibi proximos, & supremæ, Diuinæq; Potestatis Imagines. Beato Viro, quòd iam supra sydera inter faces & lampades litatum est: Tu, cui adhuc mortalis Vita, patere, si nunc atramento litamus. Ignescet, quod nigrum est, & nunc in voluminum Ara veluti concin-

natur. Adorabit in Te Virtutem Orbis, quam nunc experitur;adorabimus Nomen, quod nunc amamus. Agnoscimus in eo, quo nunc renides auro, quo paludamento amiciris, non tam obuiæ Maiestatis, quam securę Gloriæ Symbolum. Tituli hi, & nomina Virtutis & meritorum analecta sunt, & rores pluuiæ mox casurę e cælo, a Deo, vt inter Diuos efflorеas. iam stellæ tuo diademati numerantur, net e suis radijs trabeam Diuina ea Lux. Tantum nos incrementis hisce exorabimus, & astra claudicantia & sydera conniuentia; ne quod terris semel dedère, citius auferant. Nempe gemino Honoris & Amoris apice insides *Dux Serenissime*, & inter populorum plausus, & voces non tam Maiestatis, quam Cordium sedem adeptus es. Ex his alterum paucis cælum destinauit, vtrumq; Tibi: idq; quod longe Illustrius, non vt ambitu, sed etiam contemptu adipiscereris. Auxerint alij atauos suos, quod tandem ad honores eiusmodi venerint, Tu quod spreueris. Nouoq; ingenio supplex Honor visus est, furensq; Amor: Cum Te, & Amor inuitum rapuerit, Honor supplicauerit, vt acciperetur. Sic Corneliæ Genti, dum lucem refugis, quo lucem faceres inuenisti; Nomenq; quod in Atauis enixa est Virtus, in Te animi Magnitudo, Pietas inuiso ausu cumularunt. Flebat Macedo ille ad Patris triumphos, quod nil sibi relinqueret, quo famam, nomenq; genti suæ adderet; Tu in summa luce Posteris tuis ingre-

gre-

HONORES PVBLICI BEATI ANDREÆ AVELLINI CLERICI REGVLARIS AB VRBANO VIII. P. O. M. DECRETI.

OPERIS ISAGOGE.

BEATISSIMVM Senem summis Cælitum ordinibus adoptatis his diebus adorauimus, & venerationem, quam Sanctissimus Pontifex deportauit è cælo nos læti suscepimus. Illi nunc primùm aris, ac templis erectis vidimus, quàm læta prouentu virtutum ager vnì mortalium responderit: quæ facunditate lacrymis irroratus, subactus ieiunys, frugem fuderit; quas dederit laudum messes, honorum manipulos, cumulos gloriarum. Vidimus Virum mortalitatis curriculum gloriosissimè peragentem ad metam immortalitatis (hæreditatem nempe virtutis) omnium populorum plausu, omnium ordinum acclamatione, Principum suffragatione deuectum. Vidimus in eius laudem aperiri templa, parietes aulæis, ac peristromatis conuestiri, micare passim lucentes ignes, auro gemmisq; ornata collucere, solemnia in eius honorem institui, eius gesta literis decantari, publicis monumentis ad succedentium sæculorum memoriam, ad sempiternam fidem incidi, posteris propagari, ac demum Senis vnius gloriam, inglory ac vix nati dum viueret, non alys, quàm cælestis orbis finibus, & memoria infinitæ posteritatis includi. Scilicet hæc virtutis non adhortamenta, sed faces; hæc sapientiæ Christianæ tedæ, hæc calcaria honestatis. At tibi interim debebantur hæc Senex Beatissime, atq; etiam debebantur, qui plus conscientiam perpetuò verebaris, quàm famam; qui speciosa nomina seriò adeo

A fugiebas,

fugiebas, vt oderis; quę contemptum, iniurias etiam auide venabaris. Debebantur tibi Vrbium, ac populorum voto plaudentia, studia flagrantia, qui omnium bono, ad omnes officij partes expositus, obfusam humanarum mentium caliginem sanctissimarum virtutum fulgore, ardore animi, ceu salutare sydus, dispulisti, pectora deglaciasti. Qui aduersariam menti cornem, & terrenarum appetentissimam voluptatum per singulos ætatis gradus penè triumphans, virtutis viam aliquis sentam, & inuiam cuicunque ætatulæ, aut ordini etiam vestigio operuisti. vt Te vel vno praeunte didicissimus fœlicitatis confinium, ac sepem esse laborum spinas, ac non nisi per sentes, & rubos itandum in gloria gremium, portumque perpetua tranquillitatis, tunc plenis carbasis, at secundo flatu ingredi, cum spiritum frangimus, & contra volantates nedum imus, sed etiam colluctamur. O ætatem nostram fœlicissimam, o sæculum beatissimum, quonde virtutis imaginem, faciemque, quam spectandam omnibus præbuisti, nos oculis inspexerimus; nobisque datum, vt quæ oculis vsurpauimus, consequentibus sæculis calamo commendaremus. Audio vos hanc præsertim prouinciam desumpsisse Antoni Caracciole, Francisce Boluite, viri supra inuidiam facti, qui sapientia laudem geminæ eloquentiæ flumine cumulatis; Agite lucemque optatam adeò, nulla hora morentur, nulla modestia obnubat; dumque nostrorum veterum Patrum Elogijs notas meditor, ibo post vos, legamque quæ è vestro calo mello depluent, quæ è vestris ceu è Diuorum mensis dabitis analecta; Nunc quæ nuper Patauij gaudia celebrauimus, quæ eidem B. Seni dedimus festa, subsectiuo opere etiam libuit exscribere, ne vltimas Italiæ oras ad tanti nominis, & lætitia voces, plausus quoque suos non dedisse putetis. Efficiam id tripartito ordine, daboque primo Templum, mox Ornatum, tandem Ritus. hoc est, primo puram templi faciem minutim, incisim delineabo, quò facilius, quibus locis ornamenta, Emblemata nimirum, Icones, Epigrammata collocata fuerint, expediam. secundò quibus peristromatis AEdem eandem exornarunt Patres. tandem quo ritu solemnia prosecuti sumus.

PARS

PARS PRIMA,

SIVE

TEMPLVM.

SVRGIT templum omne octonis angulis in sublime, ingenti fumice, testudine concamerata, seu matelis hemisphęrio (ut sic dicam) striato, & veluti duodeno baltheo hialino valore dissecto, strijs, zonisq; non sese decussantibus sed scholoicog; rotundo in coronices vsq; mediasq; præcinctiones, quæ templum omne coronant, desinentibus. Zonæ pectinatim dispositæ, ternæ in angulos singulos veluti depluunt, vt quatergemino in latere locus sit græco fornici (vt aiunt) qui è vitreis specularibus lumen faciat, atq; eiusmodi stat ingens plane illud hemispherium, sicq; templum omne fornicatur. Succedunt Coronices, vt innuimus, mediaq; præcinctiones, amplæ illæ, lataq; earum proiecturæ, & supercilium terno sexquipede minores, post coronam nulli triglyphi, aut guttæ, sed mutuli, aut procetes affabre insculpti. Subit intertiginium, quod zophorum vocant, interuallum nempè inter proceres, & epistylia, purum illud planum, nullisq; victis, aut lemniscis, nullis tenijs reuinctum vt olim, tantum leuiter in circulum tumet, puluinatum cum Vitruuio dicetes. Post hæc iterum Dorica cymatia, ac depressa, quæ Ædem omnem trāsuerunt. Inter columnarum epistylia metopæ. Epistylia crispata cincinnis, insculpata frondibus, & baccis intumentia, quæ Græci encarpa vocant, frondium nimirum implexus, & florum. Prominent epystilia structilibus columnis, seu potius pilis imposita, quarum scapi omnino puri nullis strigibus, aut strijs eminuli, & exuberantes. Tantum hypotrachelium, pars nempe capitulo vicinior, paulo exilius, cæterùm ad spiram vsq, & stylobaten æquali latitudine insistens. Scapi infimum simū est, & obtusius, post hoc spira, statim stylobates, & basis, tandem plinthus (quem vocant) quadratus, nempe lapis columnæ subiectus, atq; ita sexdenis pilis corona omnis, omneq; octilateris templi hemisphęrium suffulcitur. Octo laris, sectisq; pilis sic sese mutuo aspectantibus, vt duæ ianuam muniant, cęteræ odęum, & facella aperiant, quæ rursus octo supersūnt singulæ angulum faciunt, spina nimirum media intrusum cuilibet abeunte. Intercolumnia vero, quæ à pilis relinquuntur, gemino ordine Iconum & statuarum imaginibus complentur. Statuæ Apostolis, Icones nostræ Congregationis Parentibus, summisq; Patribus consecratæ. Post statuas & nostrorum Procerum si-

gna, confessariorum loculamenta sunt orbem facientia; supra Icones fenestræ. Area omnis exedris in crucem disposita, distinctaq; vt quilibet sacella tergemina quà pario marmore, quà vermiculato musiuo tessellata vno obtutu conspiciat. Ara maxima in conspectu sita est, ad dexteram Sacellum B. Virginis, à leua D. Carolo, nostroq; Sanctissimo Seni Andreæ sacrum. Templi Propileum octastylon, hoc quoq; ordine distributum; vt tergemino ostio Templi totius aditum faciat. Præcipuum hypothyrum, præter antas, & protyrides tetrastilos munit; complent vero intercolumnia ostiola, & loculamenta nullis adhuc sigillis aut imaginibus illustria. coronis per epistylia procurrit, supra coronidem acroteria, nempe ea mens erat artifici vt octona signa, aut statuæ Templi frontem augerent. atq; hæc est Templi totius stenoghaphica descriptio, & structura.

PARS ALTERA,

SIVE

ORNATVS.

TEmplum hocce intestino opere conuestiuimus, ac pro Templi facie, & structura sic Beatissimi nostri Senis gloriæ argumenta distribuimus. Vt testudo Cęlum referret, vbi consummatæ virtutes, & præmia suspicerentur; quæ infra cornicem, inferiorem hunc Orbem, vbi virtutum actus, & sudores, & pugnæ. Propterea columnas, & parietes. Templumq; ipsum plurimo lumine auctum aulæis, & peristromatis conuestitum, quà pictorum pennicillo, quà musarum calamo, etiam vt ne sileret, effecimus, Sanctiq; Senis gesta plurimo ore caneret, plurimo dialecto, & charactere, qui vitam, qui labores omnium bono impenderat.

Ergo in Templi apice, ac tholo Cęlum visebatur intimos gloriæ recessus aperiens, quale primo mane Solis radij pertexunt, cum per nubes aureas, sanguineasq; & multo croco perfusas obtenduntur, omniaq; punicea face, & purpurea quadam luce videntur aurescere. Nubibus in orbem refulgentibus media ingens B. Senis imago erat cęlesti specie, ingenti luce, eaq; prope tergeminata, & maxima (talem Heroibus dicare solebant veteres vt reliquis hominibus parilem). Ille cælestibus gaudijs, quasi mox fruiturus, genibus semiflexis, & nubes tranantis in morem, expansis, iactisq; brachijs, infulis, ac fimbrijs in auram abeuntibus, Deoq; plenus videbatur, quippe inumè nebula linea, exumè phrygionico syrmate, aut attalico amiciebatur, quasi rem sacram facturus, eo hemistichio, quod supremo spiritu, antequam obiret ad aram effatus est capiti veluti coronante.

Hemisphęrium Sanctissimarum Virtutum Concilium complebat, quæ beato Seni ad eam gloriam consequendam vel duces fuerunt, vel administræ. Singulę interuallum implebant, quod zonis intermedium, eo ordine, vt Ædem ingredientibus ad dexteram Charitas omnium prima obijceretur: mox ad læuam Obedientia, tandem ceteræ, quas omnes supra nubes constituimus, quòd singulæ Cœlo originem suam referant, cognatumq; æther veluti inhabitent; si quidem quas nos Virtutes appellamus, aut colimus, Ideæ sunt diuinæ illius Mentis, quas nos dum imitamur iusti dicimur, atq; ad Diuinum illud exemplar exculti. omnes eadem ætate, ac vultu; Virgineo decore, & luce; & vt ille olim de amoribus. Ore pares æuo similes,

Caput cuiusq; hemistichium illustrabat.addidissemus etiam dedicationes, & epigrammata, si pro tempore licuisset, quæ hic non piget adscribere. Virtutes omnes quadripartito agmine sic distributæ, vt ternæ singulis angulis chorum facerent; omnes verò Sanctissimo Heroi plausum, & triumphum. Primum ex adstruere videbantur, quæ religiosum hominem publico exemplo, ac bono constituunt. Secundum, quæ Doctorem inoffensum faciunt, potentem arguere, non verbosum. Tertium, quę Virum intra claustri septa sodalium amussim delineant, lęuissimè pauperem, cuiq; subiectum, omni labe purum. Postremum eę, quę animum intimè stabiliunt, vt à spe Euangelij stabilis, & immobilis, nil temisse aut speret, aut credat; ab ijs quę sentiuntur abstineat; Singulas suis insignibus sic dedimus.

PRIMVS VIRTVTVM CHORVS.

EARVM, QVÆ RELIGIOSVM HOMINEM PVBLICO EXEMPLO, AC BONO CONSTITVVNT.

CHARITAS. PATIENTIA. HVMILITAS.

CHARITAS.

AMictu tenui, aureo decore diuiti, facies libera, firma, perpetua serenitate vernās, talares ignei, Orbemq; vniuersum ambabus manibus ambibat, flāmas è pectore veluti euaporabat, capiti eiusdem lemma inscriptū OMNIA ex Apost. Cor. 1. Charitas omnia suffert, &c. Neque enim illa alternis ignibus calet, eadem in omnes est, & omnibus: non quos amplectatur, quos despuat habet. ęqua amat, æquali labore iuuat, fastiditneminem, nulli cedit. leuitant omnia ab ea flamma. Hanc B. Seni primam consecrauimus, quòd in eo prima.

DEDI

DEDICATIO.

QVi dum protensis Orbis præcingitur vlnis,
Mater ab Herculeo creditur esse labor.
Corpora centifidis manibus, syluosa lacertis
Haud satis ; at quæ nunc Virgine pendet onus?
Forsitan è flammis, quas pectore fundit anhelo,
Concipit Hæc Vires, sit leuis Ille magis?
Hæc tibi Sancte Senex debentur symbola ; quando
Pectore ab ardenti tam minor Orbis erat.

PATIENTIA.

CHaritatem Patientia comitabatur, tecta triplici lorica è ferreis laminulis squammatim conserta; Vultu matronali dignitate immobili, sed demisso, demissis etiam manibus, digitis vtrinq; impexis, supra caput nubes è qua fulgetra, & tonitrus, sagittæ, & fulmina. ad pedes Ira anguineis crinibus, lanceę veluti incumbens, vt se perfodiat. Hemistichium ex Prudentio in Psychomachia, VVLNIFEROS GRADIENS INTACTA PER IMBRES. quippe ea Patientiæ laus, impetu, nec absterreri, obrui, nec ruere: semper eandem incedere, eodemq; vultu, quem nec ferrum, nec lethum mutet. Videbis in hanc spicula, & tela, sed in Iram vulnera. Hoc Emblema dedimus Auellino, armatamq; Patientiam, ceu ingentis illius animi tesseram, quem non terruere tot vulnera, & irata mors.

DEDICATIO.

ET Chalybe induta, implexo squamosaq; ferro,
Ipsa minas didici Sola timere minus.
Depluat & nymbos telorum, depluat æther,
Inq; meum iaciat tela trisulca caput;
Nullis Ira suis parcat nocitura pharetris,
Et furor exertis ensibus vsq; micet;
Non perturbato incedam Patientia vultu,
Ira dum rabido vulnere pectus hiat.
Sic stetit Andreas, acies sic ille retudit,
Ensis & erubuit victus ab ore Senis.

HVMILITAS.

SEquebatur, quę B. Patris gloriam, & plausus, sui deiectionem, obliuionemq; premisse ostendebat: nempe Virgo erat cęlo insistens, alisq; pansis, quæ dextera exorientem solem preferebat ab oceano medium, ad pedes superbia, equo, & leonis exuuio ferociens, capite cristato, sed in fcueam preceps. epigraphen apposuimus ex Epist. ad Ephesios 4. QVIS ASCENDIT, NISI QVI ET DESCENDIT? Scilicet res est Humilitas humanæ sapientiæ vix nota, quæ dum in iniurias, & contemptus currit, occurrit gloriæ, fit laudi obuia, quæ plausus fugit, & dum quò descendat meditatur, alas reparat, queis superuolet. tantùm superbiens animus etiam inter astra foueas reperit, mediaq; in luce nubium inuenit volumina, & tenebras non desituras.

DEDI-

gredientibus, Regiæ Stirpi quid augeant ostendis, nempe si renuant, quod meruerint. Planè in arenam descendêre nunc semel Pietas & Gloria: & dum Pietas refugeret habuêre Sceptra & Diademata quem insequerentur: Parthorumq; ad instar. *Ibas pedibus, redibas telo*, hoc, est quantum fugeres eò amoris iacula populis infigebas, quibus Te plus inclamarent.

Interim dum effunditur in tuas laudes Orbis, dum Fama, Nomenq; alas suas pandunt, læti etiam nos accurrimus, & quod in Te cęlum olim decreuit, nunc ceu nostrum veneramur; geminum perpetuò munus daturi Amoris, & Laudis. animosius id dicerem ni id primus, cum Patres nostros gratulabundos exciperes conceptissimis Verbis testatus esses *Dux Serenissime* stillantibus planè mero melle, & amore. Ita non te fasces, non laudes alterum dedêre: Neq; enim Te inter sceptra, Regumq. purpuras educato, & in Summi generis Splendore apricante, hæc aciem perstrinxêre, ceu noua. Perge *Serenissime Princeps*, & qui magnam dignitatem Magnis Virtutibus ornas: Illâ illuce, vt inuidiam superes: His ardeas, vt mortem. Vale.

INDEX

Operis Iſagoge
Templi ſtenographia 3. & 4
B. Seuis Imago in Templi thalo
Virtutum Conſeſſum.
Charitatis ſymbolum & dedicatio 6
Patientiæ ſymbolum & dedicatio 7
Humilitatis ſymbolum & dedicatio 8
Sapientiæ ſymbolum & dedicatio 9
Zeli ſymbolum & dedicatio 10
Silentij ſymbolum & dedicatio 11
Fidei ſymbolum & dedicatio 12
Abſtinentiæ ſymbolum & dedicatio 13
Spei ſymbolum & dedicatio 14
Obedientiæ ſymbolum & dedicatio 15
Paupertatis ſymbolum & dedicatio 16
Virginitatis ſymbolum & dedicatio 17
Inſcriptiones ſupremo fornici iuditę 18. 19 20.
Virtutum Trophea deſcripta 21. & 22
Virginitatis
Martyrij
Sæculi Abdicationis
Mortificationis
Charitatis
Commiſerationis
Sapientiæ
Cæleſtium Amores & bladimenta 23
Paritenta 25
Populorum vota exaudita 25
Virginis paralyſis reſoluta
Sororicidæ correctio
Pauperi erus reſtitutum
Antiſti illatus membrorum vſus
Tremulus puer in vitam reuocatus.
Clericorum Regularium, Gratulationes coronei iuditę 29
Obedientiæ } trophæa ſuſpenſa 32
Caſtitatis }
Paupertatis }
Emblemata 33
Auis Auolans ſiue illecebrarum fuga
Perſica arbor ſiue fori abdicatio
Hedera ſaliens ſiue Crucis amplexus
Corallium ſiue ſæculi fuga
Aeneũ tormentum ſiue paſſiones repreſſæ
Vitis receſa ſiue ſenſuum mortificatio
Leo in cauea ſiue carne abacta
Equus morſu imperitus ſiue virtutis ſtimulus
Lapis Lydius ſiue patientia
Arbor ramo ter inoculata ſiue vulnera & vota
Palmæ geminę ſiue virtutum imitatio
Anguis ſiue Religioſi habitus ſuſceptio
Sphera ſiue Paupertas religioſa
Pixis nautica ſiue Diuinorum lectio
Equus ad Virgæ vmbram ſiue Obedientię promptitudo
Thuribulum ſiue opinio & fama
Sagitta ſiue diuinarum inſpirationum executio
Purpura ſiue virtus illuſtrior
Lucifer ſiue ſanctimoniæ exemplum
Bombyx ſiue Beatus obitus
Balſami planula ſiue gratiarum Imbricator
Apis ſiue laborum fructus
Stella ſiue laudes impares
Frugum manipuli ſiue virtutum meſſis
Aetna ſiue Charitatis & Caſtitatis ſocietas
Sagum militare ſiue factes cicatricata
Chryſtallus ſiue vitæ innocentiæ
Monile ſiue honos
Arbor inſulæ ferri ſiue protectio
Fax fumigans ſiue natales illuſtrati
Carduelis ſiue vitæ aſperitas
Hypogryphus ſiue animi fortitudo
Speculum ſiue Chriſti imitatio
Hirundo ſiue Diuini Verbi efficacia
Ardea ſiue Orationis vis
Fons procumbens ſiue proximorum Amor
Chryſtallus facem Ambiens ſiue pectoris Candor
Flamma Lunæ attigua ſiue cœleſtis Beatitudo
Aſtrum ſiue Beneficia & vota
Lychnus in Tumulo ſiue virtutis Immortalitas
Textrina ſiue virtutum adeptio
Area ſiue a vitijs innocentia
Statua cœlo exulpta ſiue mortificatio
Imago depicta ſiue exercitiorum diuinorum inſtantia.
Elogia 53.
Cometes ſiue natales illuſtrati Syriacè characterib. Syriacis
Cithara ſiue Virginum Cuſtos Hebraicè charact. Hebraicis
Fax ab Aura liqueſcens ſiue Vir patiens Hebraicè charact. ante Tranſitum
Ros Cadens ſiue animarum medias Syriacè charact. Armenis
Nummus ad incudem ſiue Demanſi Triũphator Grecè charact. Græcis

Plausa.

INDEX

Pluuia siue criminum hostis Syriacè charact. Arabicis
Helice siue animarum zelator Syriacè charact. Estrangheleris
Nuber fulgurans siue glossa posthuma Hebraicè charact. antiquissimis
Epigrammata & Odæ 62.
Ad Vrbanum VIII. P. O. M.
Extincta face luce clarissima amicitur
Ferrum vitæ ...
Tumulus impar
Flores sanguine irrigui
E vulnere gloria
Martyr Virginitatis
Echo oculis aspectabilis
Paupertati Beatæ
Victori Triumphatori Beato
Ad Lectorem
Carmen Epicedium
Neptuno Potentiori
Aeolo Sanctiori
B. Patris Baculus
Cruor
Specilla
Candori illibato
Pulchritudo e cælo
Itineri merces
Charitas patiens
Obscuritas illustris
Sanguis liquescens
B. Senis cæleste Iter
Propileum 80
Ritus
Festus dies descriptus
Patauium.
Mira quæ ipso Celebritatis Die Patauij
contigere. 85

FACILE PROFECTO INTELLIGIMVS, QVIS ILLIS IN CAELESTI SEDE LOCVS PARETVR: QVORVM MEMORIAM TANTA OFFICIORVM CVRA PROSEQVITVR.

S. Valerianus Cemelsensis Epis.
Homilia XV. De Bono Martyrij.

DEDICATIO.

Crescite vos Animæ, vos iustis crescite votis,
Crescite & ò vester nubila calcet honos;
Quas laudum nec vox pauit, nec Bulla tumaris,
Et quibus è terris gloria displicuit.
Olim quicin terres despecta vocabula surgant,
Pompaq; sine vobis nomina abacta patrum.
Sola ego per praceps surgo, demq; occido, nascor.
Virtus, quæ obuersas gaudeo obire vices.
Sic tibi despecta veniunt Pater optime laudes,
Gloria nam nulli, sit nisi spreta, venit.

SECVNDVS VIRTVTVM CHORVS, NEMPE

EARVM, QVÆ POPVLIS DOCTOREM INOFFENSVM FACIVNT.

SAPIENTIA. ZELVS. SILENTIVM.

SAPIENTIA.

SEcundum Virtutum Chorum Sapientia educebat. Caput illi cęlesti luce coruscabat, capillitio omni auro, omniq; sydere lucidiori. Illi antra pectus Lunam pleno orbe illustrem vidisses; sed quæ lucem vtrinq; mutuaret è cęlo, & è volumine, quod sinistra gestabat. ad pedes proculcatæ Hęreses. Inscriptio capiti imminebat è Psalte Psal. 88. SICVT LVNA PERFECTA, velut integram B. viri Sapientiam, e Diuinarum scripturarum meditatione, & è cęlo illapsam ediceret, hisetenim tau clandestinis cuniculis, sed qui è cę-

lo originem suam deducunt mens lucem accipit, vt è montium Cliuis aquas suas fons. Per hæc initia in radios ad aliqs exuberat, quos illustret aut obscurat pro animi innocentia, aut dolo. ambiges an hæc B. Senem referret, an hunc Senex. Inde eiusmodi carmen ad pedes deduxi.

DEDICATIO.

INtegra cui medio fulget sub pectore Phœbe,
Et quæ vernanti lumine Virgo micat.
Christiadum è Cœlo veniens Sapientia vera est,
Cernimus & flexo poplite numen adis.
Deficis, & tanta trepidas sub imagine formæ,
Terrea cum mens sit, nec benè sueta polo?
Iam venerare Senem, quin plus mirabere forsan
Mortales tandem posse referre Deum.

ZELVS.

TErruisset quemlibet Zelus mucronem flammeum dextera cuibrans, adeò vim eius, animumq; expresserat pictor: scilicet Auellini constantissimi animi ardorem in criminosos, sacrilegos, & effractæ Vitæ homines ostendebat. Ergo illi virgineum os, sed quod ex oculis igneum quiddam intueretur. Sinistræ indice exerto, veluti Deum Max. adiuraret. pedes supra torres, flammasq;, enses, supat, & gladios, quos constanter calcabat. Lemma ex 3. Reg. 19. 16. PRO DOMINO DEO EXERCITVVM. Quis nimirum pro Deo vultus hominum timeat? minime amat, quid-lius honori dormitat. Pigritans Charitas mox tenescet, si non resilit, si non iuret. Vox si Domini est, flammas ignis intercidit, candorem animo, sed ardorem vultu fert; & quos nimie amat, furens minitatur.

DEDI-

DEDICATIO.

Illa ego sacrilegum Nemesis, iustissima Virgo,
Masculeumq; animum, nomen, & arma ferens.
Quæ placitura Deo faliam per & arma, per ignes
Fronte ferox, sed cui candida corda latent.
Reddimus Ætnai inuersi miracula montis,
Dextrâ cerne faces, pectore crede niues.
Ambigis? vtrumq; Andreas mox consulit: Illû
Et latuere niues, dum micuere faces.

SILENTIVM.

ZElum, & Sapientiam etiam Silentium sociabat. scilicet sapientiæ pars maxima siluisse: Virgo erat supra nubes, vbi nulli conitrus, aut imbres, omniaq; amicissime silent. Eidem caput luna corniculata illustrabat, cui amica silentia è Poëtarum commentis. Lucerna illi è lychnuco lumen faciebat, qua cum videlicet meditantes consulimus; dextera clauim ori admouebat; sinistra pluteo innitebatur lectioni intenta, & in altissimas veluti abducta cogitationes. Vniuerso Emblemati inscriptum sic erat, ex Isaiæ 32. ET CVLTVS IVSTITIÆ SILENTIVM. quâ præsertim Virtute Beatissimum Virum ad prima Sanctitatis fastigia deuenisse, eo ornatu, & epigrammate admonebamur. Diffluit quippe per verba animus. Tellus, si floribus tempus anteuertat, & herbis nimium ęsatiata, vix in messem flauescit. B Senis autumnitas inde feracior, quòd non euaporauerit cor, vituruimq; radices intimè coaluerint, à quo sæpe illude audiuimus ex eiusdem Prophetę vaticinijs vsurpatum: *secretum meum mihi*; nouerat, qui intra dentium septa, & pectoris veluti aurifodinam mentem non obserat, statim pauperem; & aritum Cor esse exesum, pendulum, vbi Cyclopes, (prauę inquam cogitationes,) stabulantur, si perpetuis sermonibus exhauritur.

DEDICATIO.

QVisquis bella times, sileas virtutis amator;
Vsq; sile: haud Sophia pars siluisse minor.
Fit sulco sapiens nigro, quod gesto volumen;
Et miro in libris fœdere verba silent.
Plura geret, qui multa silet; numerosq; canoros
Interualla dabunt: & siluisse placet.
Vltra imbres, nubesq; æterna silentia regnant;
Dumq; Choros ducit Cynthia, & illa silet.
Gaudent ad numerum, atq; hinc, atq; inde moueri,
Ad nullos saliunt sydera, & astra sonos.
Ad lychnum medicans crescit, decrescit & amens,
Qui sua non claudit pectore verba, animum.
Scripsi hæc, non dixi, dedit hæc emblemata Pictor;
Ecce AVELLINVS: suspice, & vsq; sile.

TERTIVS VIRTVTVM CHORVS,

EARVM VIDELICET, QVÆ INTIME STABILIVNT.

ABSTINENTIA. FIDES. SPES.

FIDES.

MEdia erat inter Abstinentiam, & Spem; cui oculos fascia obuelabat, supra caput cœlestis lux, quę ab sese in orbem leniter vanescebat, interim illa sinistra Volumen obseratum pręferebat, supra quod humana Auris apposita, è volumine lucidissimis orbibus lumen diffundebatur, fulgores vero sic amœnis interstitijs irradiabant, vt intuentes non perstringerent, sed blandè illustrarent. Dextera Aurem volumini appositam signabat, addito etiam carmine

carmine ex Psalte SICVT AVDIVIMVS. Nempe Aures, & Volumen Christianæ sapientiæ inciles, ab his irrotatus animus ad Diuina assurgit, eaq; tantùm aspergine geminant Spes, Fides. Oculi, vt è cælo plus videant, ne hic videant, Vitta ea in lucro est, dum pupulas obtegit, aciem restituit; neq; obtutus aufert, sed mutat. Res mira. luce irradians caput non lumen sibi deesse docet, sed ea valere, quæ alij non videmus, aut illis non videremus. Hanc verò pro rerum statu ad B. Senis festas sic compellauimus. Psal. 47 versic.

DEDICATIO.

Diuo fulgenti circum quæ cingeris Orbe,
Cæcaq; diducto tegmine nulla vides
Cui manibus rutilans diuina volumina legis,
Clausaq; & arcanis condita Consilijs.
Nil oculis dignata tuis, struis omnia dictu,
Cui minus est visu cernere; mente magis.
Solue oculos, rescinde comas, nec sufficis auris,
Et videas qualis gloria facta Senis.

ABSTINENTIA.

Fidei lumen munibat. Virgo facie nonnihil ad maciem contracta; Capillitio etiam in orbem religato Catharam genu sustinebat. Sinistrâ chordas ad Citharæ iugum epitonijs tendente, quas plectro etiam explorabat. Ipsum Abstinentiæ Symbolum. testudo enim tunc Citharæ indicium & initium fecit (vt aiunt) & aura per eius cauitates tunc musica audita est, cum olim ad solis caloris exsucca. Rursus fides nullas nisi tensas, atq; aridas armonicum insonare. ad eum modum Diuinas aures qui obesus venter permulcere potest? legisti olim Cretenses lyra, Saculos peclide Hostium fortitudinem excantasse, ita animæ hostes non nisi ieiuno ventre deijcies. Carnis vires, & Animæ in eo distant, quod vix simul. ferocit Animus in pingui corpore, & Carni cum adblandimur victas hosti concedimus manus. Nos Beatissimum Senem ea inanitate, rerumq; omnium abstinentia, cui perpetuo addictissimus, seipsum, & Dæmonas triumphantem, Deo suauissimè præcinentem

cem hoc Emblemate signabamus. Vnde ex Isaię sacris carmen quoque ille apposuimus. VENTER MEVS AD MOAB SICVT CITARA. Esai. 16. 11.

DEDICATIO.

AVdin, quæ circum resonant fera prælia, turbas
Quas mouet hinc Phlegeton, hinc malè sueta caro.
Bella parans animo, hinc acies, atq; agmina iuncta
Et quæ expectantur, quæque timentur erunt.
Ipsa ego demissas Cithara dum distraho chordas;
Non venio è molli missa puella choro.
Sola ego præcurram belli doctura Virago
Leges, queis tantum vincere bella potes.
Nilq; remissus agas, nil sensius inter vtrumq;
Abstinuisse placet, sustinuisse iuuat.
Solaq; perpetuo exonerent ieiunia ventrem.
Sic nullo Andreas pondere ad arma volat.

SPES.

ALata, scopulo qui è mari extabat insistens; anchora ponè illam videbatur, in qua nomen ineffabile Tetragamaton Hebręo charectere insculptum, cui alę etiam additæ. circa anchoram lucidissimi orbes, qui Numen sub eo emblemate designarent. Anchorę Virgo incumbebat conniuentis, aut dormitantis in morem, Ipsa Theatinę familiæ nutrix, & vexillifera. Lemma illi ex sacris desumptum Esaia 50. 10. ET INNITATVR SVPER DEVM SVVM. Scilicet soli huic data tranquillitas, & quies: sola iactati nescia, & inter sonoras tempestates somnulum captans. Cui ne concursus nubium, & fluctuum volumina impetum faciant, Deus Ala, & Anchora, Stylobates, & puluinar. ipsa verò sic loquebatur.

DEDI-

DEDICATIO.

Ite graues animo curæ, procul ite, nec vllus
Improbus excruciet prouida corda labor;
Ite leues, nulla extimeam secura Borini
Flamina, nec saui flabra timenda Noti.
Cuncta serenato rident mihi cærula ponto:
Irato ponam margine tuta lares.
Si furis, aduersis implentur Carbasa ventis,
Aura reflat, Pennis detrahit aura moras.
Eia meum genus, & mihi nunc gaudete Theasda:
His pennis vestrum detuli ad astra Senem.

QVARTVS VIRTVTVM CHORVS.

ILLAS CONTINENS, QVÆ RELIGIOSVM HOMINEM OBSERVANTIAE AMVSSIM SODALIBVS EXHIBENT.

OBEDIENTIA. PAVPERTAS. VIRGINITAS.

OBEDIENTIA.

LÆuam Templi dexteram tuebatur facies innubes, serena, cælum referens, cum sudum purumq; est. Vestes ad talos promisse, palliolo etiam ad læuam impexo. Ante aram stabat accenso foculo, alas gemmas, Libertatis argumentum, ad ignem veluti litabat. Sinistra Iugum, sceptrum, frenumue amicissimè amplectebatur. Ad caput tale quid apposuimus SIC ITVR AD REGNVM. Neq; enim nisi è voluntatis, & legum pedicis nascitur durature Libertas, male Libertatem amat, qui præcepta odit. Voluntati alas si de-

trahen

trahes, addes menti. & animam leuiorem efficies, dabis pretiosiorem, si diuini amoris ignibus Libertatis pennas adolebis. scepti pondus hominum voluntas adhuc non nouit. rapitur homo, si exlex, non incedit; vt pennę, quę tunc nubes prąeuertunt, cum simul iunctę, & inuicem alligatę; solę dispiuntur, non auolant. Ab ijs vinculis, quę in ijs cęlum reperit Senex Sanctissimus. Id hoc symbolo conabamur.

DEDICATIO.

Credite mortales, quos blando gloria sensu
Mordet; & angusto in pectore sceptra serit.
Falsus honos, falsusq; decor, cariosaq; laus est,
Quæ fati tantum nomine lapsa venit.
Aurea libertas, sacrisq; coempta catenis
Sola iuuat; pennas qui vsserit, ille volat.
Iunge manus, humerisq; subi mea lora, Ingenium,
Ne pudeat, habent sceptra beata polo.
Ipsa suos duro primum sub cortice gemmas
Expolit, & multo è carcere concha parit.
Inclusæq; diu meditantur vere colores,
Quæ mox purpureæ prosiliere rosæ.
Sic sine irrutilans, Diuum seu fulgeat ostro,
E nostro Andreas compede sydus erit.

PAVPERTAS.

Obedientiæ comes indiuidua, Sanctissimoq; Seni amicissima maxime intuentium oculos detinebat. Stabat illa pannuceo, & semilacero amiculo, quo vix corpora tegebantur. Sub ea nuditate quid apparebat, omni luce illustrius, cui nec aurum, nec purpura se componere audeat: & licet pannis tristibus, & lacerna semilacera, etiam quędam regalis maiestatis ab eo vultu elucebat. Interim illa pedum erecta, parum conuolutis in sinistra digitis, dextera

dextera quasi numeris intenta nó nihil cogitabunda visebatur, carmen ex Aurelij Prudentij Psychomachia, veluti ediceret. AETERNAM NVMERO REDITVRO FOENORE SVMMAM. Irrideat sapientiam hanc Sæculum at in Euangelica Paupertate diuitias is credet, qui Deo credit. Christianæ Fidei nimium detrahit, qui in ea ingentes thesauros non agnoscit: miseræ necessitati inuidet, cui varia supellex in amore est, & negat se cœlo natum, qui terræ retinientis inhiat, aurum sitit. Quam felici auditate tremit, qui micantibus syderibus similis, nempe ea pulchriora, cum nuda magis. virtutem hanc nos sic pro more alloquuti sumus.

DEDICATIO.

Virgo, quæ ab exhaustis incedis & inclyta gazis,
Despicis & nudo dona opulenta pede.
Cui Pelusiacæ sordent velamina fila,
Quæue Parethonio littore concha venit.
Quid digitis numeras tibi quod respondeat Æther?
An dubitas cælo, quæ tibi messis erit?
Aspice Auellini, quos donant Templa triumphos.
I nunc æthereos si numerare queas?

VIRGINITAS.

CHorum religiosarum virtutum Virginitas implebat, dextera è mari concham præferens, quam unionem vocant; ea pro lucerna, vtebatur mixo ab orificio illucente, vt eo symbolo carnis falaciam Virginitatis fulgori inseruientem ostenderet. Erant ad pedes cilicia, & crates, flagella, & volumina, ceu ebullientis ætatis pretiosa detrimenta. Ipsa quoque cilicino induuio, & ad renes præcincta, dum læua oculos obnubebat, sic postrema loquebatur: HOC FOEDERE INNOCENTIOR. quippe planum est, oculis sæpe mortem hauriri, & per fenestras hasce sæpe pectus infici, diripi cor. Flores in oculis animus, inquit ille, addo ego, etiam marcet, exsugitq; sæpè veluti per geminum os venena, quæ mox animum, quæ honoren infament. Car-

nis illecebras nemo vicit, nisi ab eo fœdere. tam fecisti grandem mulierem, intuitus semel, nec ab ei imagine passus vim, oppone manus nedùm oculis, sed cogitationi, vt Husites ille Sanctissimus. Tantùm qui cęlo micant ignes ventorum flatus non timent, tantùm Cœlites carnis preda. Ellychnium manibus tutamur, ne extinguatur; cur non oculos ? & illi ad instar flammulæ lucent; quorum incuria fit animo mors. verum ne nimis videremur Virgineas pupulas ab ea abstinentia paulisper feriari carmine etiam supplicauimus.

DEDICATIO.

Exere Diua oculos, oculis o detrahe dextram:
Inficient animi nulla venena fores.
Nil est quod timeas niueo bona Diua pudori,
Totum virgo tuum quod tuearis erit.
Auge faces, hilaresq; super nunc indue vultus,
Latior & cilicij pondera fige Cruci.
Pugnastis, passiq; simul bella, aspera bella:
Sint tua cum nostro gaudia iuncta Sene.

Fornices, (quos Græcos vocant,) qui virtutum Choros ab inuicem distrahebant, ac primò illum, qui supra Aram maximam lucem sou hemisphęrio aperit, sic pro virtutibus loquentem dedimus.

Beato Andreę Auellino Clerico Regulari.
Verę Sanctitatis Ideae.
Quod Non Plus Alijs Ornatus, Quam Sibi.
Solidæ Virtutis Imaginem
Postremis Temporibus
Mortalibus Spectandam Exhibuit.
Virtutum Collegium
Publicę Gratitudinis, & Plausus Argumentum.

Is,

Is, qui ad lęuam, & Sacello Beato Seni, & Diuo Carolo sacro imminet, sic quoq; pro virtutibus loquebatur.

Magno Andreę Auellino.
Clerico Regulari.
Apostolici Spiritus Instauratori.
Commilitoni Martyrum. Virginum Propugnatori.
Ob retusos Perfidiæ Mucrones.
Effusas Dęmonum Acies.
Illatam Sęculo Lucem.
Federatarum Virtutum Concilium
P. P.

Qui dexteram lamię hemisphærio aperit, & Deiparæ sacellum superat, etiam hac inscriptione ornabatur.

Beato Andreæ Auellino Clerico Regulari.
Cęlituum Choris Adscripto.
Quod Expiatis Lupanaribus; Fundatisq; Templis.
Pęnitentum Mulierum Collegijs Institutis.
Virginum Erectis Ginęcęis.
Traditis Sanctissimæ Disciplinę Decretis.
Christianę Probitatis Exempla Vbiq; Gentium
Propagauerit.
Conspirante Virtutum Omnium Cętu
Cœlestiũ Gaudiorũ Imaginẽ, Mansurę Laudis Vestigiũ
L.L. Consecrarunt.

Fornix, qui ſupra ianuam, Aramq; maximam ſpectat, etiam hoc epigrammate dedicabatur.

Te Andrea Auelline
Admiratio Concipiat. Fama Concelebret.
Qui Ad Vitiorum Numerum,
Tot Bellorum Patrator. Tot Monſtorũ Extinctor.
Tot Hoſtium Triumphator.
Te Tot, Tantisq; Adoreis Circumfuſum.
Coronis Adauctum. Laureis Inſignitum.
Gaudente, Ac Circumplaudente Cœlo.
Inſonante Orbe.
In Gremium Fęlicitatis Euchimus
Virtutum Chorus.

TEmpli reliquum, quod infra corniceem dimittebatur, vno, eoq; integro emblemate Orbem hunc inferiorem (vt monuit) præferebat, quem, ſeu patrium larem inhabitant & ętatum omnium euripi, & fraudum machinamenta, & ſcelestorum inſidię, & peſſimarum deliriarum incunabula, & prauorum adhortamenta, & exempla pariunt, vniuerſaq; vitiorum Lerna carnis contagione collecta. Hic ergo Sanctiſſimæ vitæ ſymbola diſpoſuimus, vt ſinguli ſub vno obtutu admoneremur, denſas haſcè laudum ſyluas non ab vno laborum fonte irrigatas, propeq; nos illas appinximus, vt inibi constituta Beatiſſimo Seni trophęa oculis præ gaudio natantibus ſuſpiceremus, vbi olim non abſq; ſanguine, & diſcrimine actæ pugnæ, & labores. Meritorumq; memoria illic præcipuo cultu floreſceret, vbi tantarum virtutum iacta initia, & ſemina. Ac pulchre ſanè inſpectantium oculi, quo eius imago nubes inter, lucemq; ampliabat, per eos gradus veluti proueheþantur, videbant quippe vincentium manubias, gloria laureas non niſi ab ingenti ea vitiorum, ac virtutum conflictatione immortalitati præreptas, cęlo delatas. Hinc pro columnarum numero totidem Icones Beati Seni ſuſpendimus, quæ ſcapi medium ſacro quodam luxu onerabant. In iis Sanctiſſimi Viri, aut depicta illuſtria facinora, & trophęa, aut Diuini Numinis erga illum amores, & cœleſtium blandimenta; aut populorum vota exaudita, aut Portenta etiam inopinata. Quæ

cęleſtia

cælestia, esse, & diuina, ex ijs plura Summus Romanæ Fidei Antistes oraculo comprobauit.

VIRTVTVM TROPHÆA.

I. PRimum ergo Virginitati consecrauimus, nempe eumdem Auellinum dedimus magni olim illius Iosephi prælia repetentem, imò & triumphos; hoc est Sanctissimum Adolescentem ab infami muliercula ad fœdissimos amores pellectum, propriumq; cubile, quo libidinis ille & auaritiæ tortores procacissimè accesserat etiam exhorrescentem; animi florem plus verituma ne aura ea vel leuissimè afflaret, quam domesticam supellectilem mox furto ablatam. Scilicet primum debebatur Virginitati trophæum, quod cum eo fermè congenita, illum ab ingruentium voluptatum æstibus tutata sit, quæ ab ipsis penè crepundijs auram fecerit, intimasq; fibras cœlesti velut luce irrorauerit. Supra Iconem Titulus is erat.

Infami muliercula reiecta. virginitate Deo perpetuo consecrata.

II. TRophæum alterum martyrio positum est, proxima nempe columna Auellinum vidisses inter scelestorum manus, & perfidiæ mucrones nimium quantum animosè obsistentem, mox demùm eumdem beato cruore perfusum, genis ter impiè vulneratis. Haud procul sacrarum quoq; Virginũ Collegium visebatur, fidei suæ testis, & causa sanguinis. Dixisses, quod domitæ carni, quod Virginum tutelæ debebatur, illato vulnere solutum est. Credidit digna dedisse pretia Virginitas, cum Scelestorum ferro insontem obtecit; neq; enim sanguinis eæ guttæ, sed nuî gemmarum, auctum cælesti, diadema lutem. Icona vero sic inscripsimus.

Bis à Nefarijs Tenebrionibus impetito. tergemino vulnere cruentato. sacris Virginibus defensis.

Verùm

III. VEnim à gemino eo flore, quid nisi præclara reliquarum Virtutum autumnitas promittebatur? hinc tertium trophęum Sæculi abdicationi, ac fugę dedicatum erat. Ergo hic quoq; Beatum Iuuenem depinximus in nostram Congregationem dantem nomina; Spolia Christo, ac vota suspendentem, Sanctissimumq; virum Ioannem Marinonium, reliquosq; illius sæculi virtutis proceres blandè ad coronarum communionem illum excipientes. O qualem exigua, at beata nimiùm Concio virum concipiebas, qualem Heroa? Iconis vera Lemma tale erat.

Datis Christo nominibus, votisq; nuncupatis in Congregationem Clericorum Regularium à Beato Ioanne Marinonio admisso.

IV. QVarto loco trophęum erat ταπεινοφροσύνη, hoc est afflictationi, & mortificationi sacrum. nimirùm templum visebatur nocturnis tenebris verendum, lampas itidem sublustri fulgore, tenuiq; luce ante aram tenebras easdem non nihil imminuens. ibi Vir Sanctus genubus flexis, vestibus lumborum tenus exutus, plurimo verbere in semet pijssimè sæuiens, multoq; sanguine liuidus, quò aliorum offensas, propriasq; æstuantis carnis illecebras nocturno eo rore sopiret, castissimos in Deum amores virentes perpetuò asseruaret. Addidimus & hic quoq; Lemma.

Noctibus singulis in Oratione ad Auroram productis, multo verbere, ac sanguine se afflictante.

V. QVintum proximorum Charitati dedimus, quo expressum erat ab Auellino expiari lupanaria, fundari templa, singulis documenta dari Sanctissimæ disciplinæ. Quippe nullis arcetur finibus Charitas, si vera est. illimes illa, & effusa in omnes, ignis est, & inquies, ut omnia beatissimè amburat, & in suam flammam transfundat. In sacrarum Ædium structionibus ille suis humeris lapides, illa suo collo onera subuehebat, nem-
Ps. 121. pè beatam illam, quæ cęlo manet gloriam, ceu ciuitatem ædificari iam nouerat, argomentum omne his verbis complectebamur.

Domi-

Domibus Mediolanensi, & Placentina fundatis, Pœnitentum mulierum Cœnobijs institutis.

VI. SExtum egenorum Commiserationi ereximus, præsertim cum in summa annonæ egestate quæcunq; alimenta in menses aliquot focijs asseruarat, Neapoli pauperibus vltrò distribuit. Scilicet non vna Charitati pupula: Columba est super aquarum riuos prætervolans, quæ in cœlum, quæ in populos gemino oculo, vnó obtutu collimat. Subiecta Icon sic inscribebatur.

In difficillima temporum caritate pauperibus domestica Annona laxata, egenis proprio pane refectis.

VII. AT descripta volumina etiam triumphum auxere tuum Senex Beatissime. id quoq; trophæum nos adhibendum curauimus, cum nocturnas illas, ac beatas excubias meditatione, ac scriptione diuidebas; cum quòd tuis oculis, ac perbreui somno suffurabaris, fidelium animis calamo propinabas. sed epigrammate plura complexi sumus, quæ templum vix caperet, quod tale erat.

Pluribus voluminibus scriptis, plura prophetico spiritu prauidente, Virginitatis, Martirij, etiam Prophetia, & Doctrina laurea inclyto.

DIVINI NVMINIS AMORES, ET COELESTIVM BLANDIMENTA.

VIII. STatim blandimenta hæc post trophæa. Notum quippe est cœlestes ciues, vt eius alloquio fruerentur, nonnunquã cœlo caruisse, Senemq;

Sancti-

Sanctissimũ mutua hospitij lege sæpe ad illos animo aduolasse. Cũ diuinas preces persolueret cõgnentes è regione Angelos sæpius exaudisse, semelque scripto testatus est. vidisseq; Christi Domini pulchritudinem, speciemq; seq; Virginem Deiparam, Apostolorumq; Principes pluries allocutum. Nos omnia vno veluti actu adglomerauimus. O quot vnâ tabulâ diuinæ vbertatis, & Beati pectoris gaudia complectebantur? Singula hæc quoq; multus explicabat.

Frequentissimis Angelorum conspectibus illustrato. Principum Apostolorum, & Christi Domini aspectu, & alloquio pluries dignato.

IX. ILlustri erga Beatissimum Senem blandimento columnam hanc dedicauimus, factoq; quod iurati, & qui etiamnum viuunt testes asseruere. Erat illunis nox, cælumq; propè ruere imbribus videbatur, cum domum repedare cogitur Senex Sanctissimus. Ac illum, & socios timuere ingruentes imbres; verùm face, quam è socijs quidam præferebat ventorum vi extincta, lux cœlestis affulsit, quæ illum ambitiosè per itinera circumsepibat, domumq; comitata est. At cur minus illum venti vexerit? An quia iussere id cælestes Spiritus, vt soli Viro Sancto adblandirentur? His verbis imaginem quæ id expresserat delibauimus.

Nocturno itinere clarissima luce circumfuso. Socijs nullis imbribus madefactis.

Impugnatur sæpe, expugnatur numquam,
Adolescens Deo carnis illecebras adolet,
Quo fœlicius triumpharet.

Custodi Virginum pro Emblemate Citharam dedicauit, cui sculptum pinacem, siue foramenta elaborare, atque, educeret. Hemistichium: ALTIVS HINC INSONAT, Elogium Hebræo idiomate, & charactere adpositum est.

CITHARA,
Siue
Virginum Custos.

Hebraice Characteribus Hebraicis.

INTERPRETATIO.

BEATI ANDREAE AVELLINI C. R. Gestis,

Taceat amicior calamus, si potest,
Quæ hostile ferrum etiam nolens inscripsit:
Collabenti Virginum collegio datur columen,
Vt incolumes Pietas, Religio seruarentur.
Decidit in ipsum custodia, vt deiectam erigeret.
Quo timuit accepitam, eô acceptam tutari non timuit.
Insidianti Lupo dum fit obuius Canis fidelior, fit & vulnerib.
Non absterretur, non obmutescit;
Etiam vulneratus
Ac cytharæ ad instar tabulato incisio
ALTIVS HINC INSONAT.
Trium Votorum Propugnatori,
Tria vulnera amicus hostis inflixit.

Ambi-

Ambigeres cuius Voti Martyrem dederit.
Insanus,
Qui vt vnum os clauderet, tergeminum aperuit.
Vt vocem comprimeret,
Clamantem Sanguinem elicuit.
Ne cordibus Auellinus veritatem inscribat,
Auellino linguæ Calamum acuit ferro.
Nec mirum si à Monialium arce seipsum arcet,
Si sè victum inuitè fatetur,
Qui hostili gladio Virginum ostia vallat sanguine.

Viro Patientissimo Facem in Symbolum statuit, hinc vento actam, hinc ad auræ mensuram diffluentem. Carmen erat PERFLVIT, QVO PERFLAT. Elogium Hebraicè id enarrabat Characteribus vetustissimis, & ante Transitum.

FAX AB AVRA LIQVESCENS,
Siue
Vir Patiens.

Hebraicè Characteribus ante Maris Transitum.

INTERPRETATIO.
BEATI ANDREAE AVELLINI C. R.
Gesta;
Non calamus, sed ferrum in æterno lapide inscribat,
Qui amore, non ferro pugnabat cum ferreis.
Dirus mucro, ceu exactor immanis faciem bis petit.
Sanguinem extorquet, quem libenter dabat.
Impio mucronis vulnere sternitur, non Odij.
Ferrum auro, Odium amore compensat,
Qui amoris aurum nouerat fænerari.
Sæculi leges adhuc in sæculo exhorruit.

Qui

Qui carnis matricida matrem diligere non nouerat.
Sanctissimum virum insanè percussit hostis,
In hoc tantum fanè, quod caput percussit, vt religarent:
Ne ad Amoris Purpuram tuccto
Regalis infula Capiti deesset, quæ illud ornaret.
Rursus gladius Nepotulum abstulit.
Inq; Hæredis iactura, fit Amoris Heres.
Interfecit immane odium Nepotem,
Interfectorem Christiana Charitas filium fecit.
Nempe Iustorum cor fax ad auram

Eò PERFLVIT, QVO PERFLAT.

Et quò vehementior amaritudinum turbo,
Eò ardentior fit Amor, & liquescit Animus.

Animarum Medico Rores attribuit, qui Coruorum pullos, dum implumes albicant, enutriunt; quod, vt reor, lachrymis suis sæpe ad vitam animas reuocatis, in Vitam aluerit. Versus erat: CADVNT, DVM CANDENT. Elogium Syriaco Idiomate datum, Characteribus Armenis.

R O S C A D E N S,
Siue
Animarum Medicus.
Syriacè Characteribus Armenis.

INTERPRETATIO.

B. ANDREAS AVELLINVS CLERICVS REGVLARIS,
Animarum
Medicus. Custos. Nutricius.
Ad auricularem pœnitentiam dum errantes excipit,
Incessanter lachrymatur:
Vt lachrymis

Liniat,

Liniat, ſepiat.nutriat.
Quos auribus huſerat vapores, oculis depluebat:
Ne intimę innocentiæ lux alienæ noxæ nubem pateretur.
Alienam ſalutem inter luctum colligebat,
Quam prodiga lætitia proiecerat,
Vitam indagans, qua alius indiget.
Tàm ipſe alieni lucri amans, quàm ille amens, dum diſſiparat.
Ore parit pænitens crimina in ſalutem,
Quę olim in ſui necem corde impie parturijt:
Criminum obſtetrix Andreas
Piè crudelis
Partui negat vbera, lactat lachrymis;
Quòd mortuum cupiat, non ortum.
Poſthumos errores vt perimat, ſuſpicit libenter.
Quibus necatis Patri vita denegata reſtituatur,
Nuptialē ſe īnocētiā Induētē lachrymis aſpgit, vt ſuauius redoleat
CADVNT iſtæ, DVM ille CANDET.

Dæmonum Triumphatori nummum Aureum dedicauit, sed dum cuditur, & intra malleum & incudem imago imprimitur. Voces additæ hæ erant PREMAR, DVM IMPRIMAM. Elogium, quod explicuerat Idiomate Græcum, Græcis characteribus.

NVMMVS AD INCVDEM,

Siue

Dæmonum Triumphator.

Græcè Græcis Characteribus.

INTERPRETATIO.

BEATVS ANDREAS AVELLINVS C. R.
Flagellum Demonum, & si Dæmones flagellant.
Fit inferorum vindictæ obnoxius, inferis obnoxios dum vindicat.
Onerant illi Carnem Verberibus;
Quòd istæ animas carnis illecebris, deonerarct.
Numquam innocentior quàm cum vapulat, vt nocens.
Vinctum, vt ferrum cedebat Dæmon,
Cui victus, vt Principi regnum cædebat.
Sceptrum obtulit flagello.
Infanum Inferorum Consilium,
Vt Andreæ spiritum enerueni, carnem illius bostem
Inferno fæderatam enervant:
Vt animum coerceant, addunt stimulos.
Opem ab hoste flagellatus inuenit,
Quam ab amico non reperisset.
Lætus Canens
PREMAR, DVM IMPRIMAM.
Imprimam aliorum cordibus celestia, dùm ab Inferis
Verberibus premor.

Crimi-

Criminum Hosti eo Emblemate litatum est: Pluuia visebatur è cælo rue-re in subiectum æquor fluctibus subsiliens, qua vndæ, & tempestates mite-scunt. Epigraphe quæ id diceret: COMPRIMIT EXPRESSA. Elogiũ Syriacum erat, sed Arabum characteribus.

PLVVIA IN MARE DECIDENS,
Siue
Criminum Hostis.

Syriacè Characteribus Arabicis

INTERPRETATIO.

B. ANDREAE AVELLINI CLERICI REGVLARIS,
Quouis Terrarum pergat læta gloria,
Qui Diuum gloriam pene letho pereuntem seruauit.
Floreat nomen,
Cuius ope Diuorum nomina non defloruere.
Neapoli sacros dies sacrilego concursu temerandos
Deplorat,
Immortalium penè defuncta solemnia lamentatur;
At Sereno Cælo
Zelus in fulgura, lachrymæ in Imbres, suspiria in Turbines
Statim euasere.
Sic sacra perturbantem turbam exturbat.
Sic lachrymarum pluuia naufragam populi frequentiam
COMPRIMIT EXPRESSA.
Pro terra pugnaturus Iosue luce vicit, Andreas pro Cęlo tenebris.
Luctu luctam adoritur, & victor euadit lętus.
Gemitu risum compescuit, vt Inferos derideret, arriderent superi.
Quam lętè per lachrymas Cælituum lætitia nauigabat!

Animarum Zelatori id symbolum fecit. Helice, siue minor Vrsa, quæ circa polum lumen suum circinat, nec ab eo vnquam distrahitur. Lemma. CIRCVIT, NON RECEDIT. Elogium Syro Idiomate, sed elementis Estranghelicis.

HELICE,
Siue
Animarum Zelatori.

Syriacè Characteribus Estranghelicis.

INTERPRETATIO.

BEATI ANDREAE AVELLINI C. R.
ELOGIA
Non calamus fastidiat, non lingua;
Qui alijs opem ferre numquam fastiduit.
Nominis immortalitatem illi restituat,
Qui alios restituit Vitæ.
Aliorum saluti semper intentus, tædio nusquam distentus.
Per vicos, per Domos, per Xenodochia
Sæpe sub meridiei ardore,
Reluctante Senio, propugnante dilectione
Grauia membra raptabat.
Amore plus fortassis ea animante, quam anima.
Perpetuo inquies, in Vna tantum Dei gloria figebatur.
Lucem illam imitatus, quæ ab Axe
CIRCVIT, NON RECEDIT.
Noctu vbi ægrotantem inuiserat, subita refulsit luce.
Plane debebatur,
Vt qua interdiu fatigatur, hæc eundem eleuet tenebris
Fatigatum.
Hoc amictu digne tegebatur, cuius opera tegmẽ haud merebatur.

Gloriæ

Gloriæ Posthumæ Nubes depicta est,quæ crebris fulgoribus scinditur. B. Senis vultum signans ferro post dissectum,viuosq; sanguinis riuos,gloriæ radios dixisses,effundentem. Inscripsimus. SCINDAR,DVM FVLGEAM. Elogium Hæbreo Idiomate,sed antiquissimo Charactere legebatur.

NVBES FVLGVRANS,
Siue
Gloria Posthuma.

Hebraicè Characteribus Antiquissimis.

INTERPRETATIO.

BEATVS ANDREAS AVELLINVS C. R.
Tertia die à morte ter Vulneratus,
Omnium admiratione Sanguinem ebullientem effudit.
Defunctum petijt gladius,ambigens an defunctus esset;
Quem ipse Virginitatis Martyrio immortalem fecerat.
Mortuum expectat,vt pungat:
Quòd non perimere, sed gloriam iussus est excitare.
Si fidei martyrium non fecit in mortuo,fecit Martyris laudem.
Testimonium hoc Posthumo fecit,
Quòd laudes viuus Pater erubesceret.
Tria ora non vulnera debitæ laudi aperuit.
Gloriam,quam ore depressit viuens,
Morte functus Tergemino clamat vulnere
SCINDAR, DVM FVLGEAM.
Felix vulnus,
Quo ostio non tam Sanguinem emisit,
Quam gloriam excepit.

EPI-

EPIGRAMMATA ET ODE.

Pilis, Columnisue quæ angulos faciunt opposita sunt; vt post Emblemata, & Icones, quæ columnas easdem ad scapi medium texerant, hæc ad stylobatem vsq; tessellato veluti opere procurrerent. Primum vero epigramma Ianuæ hypothirum implebat, illud Vrbano VIII. Pontifici Optimo Maximo dedicatum est, quo Parenti Maximo, & Summo Sacrorum Antistiti grates conabamur. Reliqua Beati Viri laudes, & admiranda delibare videbantur.

AD VRBANVM VIII. P.O.M.
ob Publicos Honores
BEATO ANDRAE AVELINO decretos,

Vniuersa Clericorum Regularium Congregatio Gratias agit.

VRbem, qui dominam frenas, moderaris & Orbem,
Infera cui & Superum regna beata silent.
Te colimus, gratesq; pio damus ore, quòd oras
Quas sol exoriens, quas rediturus adit,
Vnus implesti victuri nominis aura:
Quòd nostri iubeas crescere stemma Senis.
Vota dabunt, pictæq; pys iam floribus aræ,
Quos das odorato Thessala terra sinu;
Quos rigat & Rhodanus, quos flauas potat Orontes,
Aurea Tertesii vel beat vnda Tagi.
Cernuus ad limen promet sua thura Sabæus;
Vsq; è caucaseo procidet ille Iugo.
Illi, quæ obuersis graditur Gens altera plantis
Alterno expedient Carmine Vota, preces.

Indi

Indi illum, illum Arabes, gemina quoq; luce Triballi
Suspicient, aris vltima terra colet.
Concordes animi, sed discors littera fastis
Scribet, non vni forte legenda Viro.
Vnanimes nomen, vario sed gutture nomen
Linguaq; non eadem ducere discet idem.
Vt tu Illum terris, Te stellis afferat Ille.
O vna ambobus gloria & vnus honos!

Extincta Face luce clarissima amicitur.

O Cælo dilecte Senex, cui seruit Olympus,
Et coniurata sydera luce fauent.
Accensasq; faces dum stridens supprimit Eurus,
Astra decent Diuos, quæ conitentur, at.

Ferrum Vitæ nuntium.

QVod Cælo viuas saliunt de fronte cruores,
Vulnera mox vitæ signa perennis erant.
Cur enses, ferrumq; putas nunc missile mortis,
Quando illud Vitæ nuncia ferre vides?

Tumulus impar.

CIrcinus alterno currat pede, circinus instet
Dissectis tabulis, rubraq; amussis eat.
Iunge parem, parilem cadas, procurrat & vltro,
Excipiet functum ne breuis vrna Senem?
Bis Tumulum faber, infert bis sacra membra sepulchro:
Condere nec potis est ars repetita Virum.

Discite

Diſcite mortales, Sanctis dum vix ſatis aſtra,
Vrna Senem voluit claudere, & erubuit.

Flores Sanguine irrigui.

QVòd rore & gemmant violæ, vel turba roſarum,
Mane illa gemmant, cum citò deſpereunt.
Quæris Auellini radiant cur stemmate nunquam
Occidui flores? Sanguinis vnda rigat.

E vulnere gloria.

TEr ferrum defuncta ferit ſacra tempora, & aſtris
Te aſſerit, exundans dum fluit vſq; cruor.
Scilicet hi riui, radijſq; ſimillimi; at illi
Ni abruptis cœlo nubibus haud rutilant.

Martyri Virginitatis Diadema e Stellis.

FErro quid ſacro manant de fronte cruores?
Quid gladio fœdas ſanguine ſæue genas?
Sulcus erit gemmans inflicta in fronte Cicatrix,
Quam veris poſſit vincere nulla Roſa.
Quid ni è Cælorum nos exorabimus hortis
Lilia, quæ has poſſint vel redimire Roſas?

Echo oculis aſpectabilis.

LVdit ab exeſis rediens conuallibus Echo,
Hanc oculis vnquam nulla ceruſſa dabit.
Quæ Deus ANDREAE ſecreto verba profudit,
ANDREAS hæc oculis conſpicienda dedit.

Quam

Quam bene Respondens *vocitaberis Inclite factis!*
Echo nulla vnquam pulchrius eloquitur.

Paupertati Beatæ.

FAlsæ o divitiæ vera irritamina fraudum,
Si quemquam vestra forte beastis ope?
Auriferi, quos vnda Tagi, quos Hermus arenis,
Indus gemmiferis quem satiastis aquis?
En cui divitiæ sordent, cui plurimus Orbis.
Marcet honos, quem vel gloria nulla rapit.
Esuriens gaudet, lætatur dum sibi demit,
Nullos quos timeat, quos vereatur habet.
Concutit obliqui numquam quem fulminis ira
Eure siles illi, si strepis vnda, iaces.
Inuictum si scire cupis quis reddidit illum? –
Pauperies: miseræ disperatis opes.

Semper Victori triumphatori Beato.

SAEuus Auellino Dæmon cum prælia gessit
Fregit Tartareas spicula cuncta Senex.
Blanda Venus puero dulci adblandita veneno,
Semper & ad pueri cancidit icta pedes.
Illum dura premit nondum bene pressa voluntas:
Illi perpetue velle triumphus erat.
Addiscant qui bella timent, qui Dæmonis astus:
Vincere quàm pulchrum, si modo bella placent.

CARMEN
Epeneticon.

Sydera Cæli,
Quæ rutilanti
Fulgure noctem
Pingitis atram,
Nectite serta.
Spargite odores,
Iungite lumen,
Fundite rores,
Lilia sordent.
Munera fontis;
Sertaq; marcent
Florea montis.
Vos egó vos o
Oro decoros
Crine cometas,
Igne Planetas,
Lunaq; pleno
Orbe sereno,
Iungite flammas,
Iungite lucem.
Ille triũphat,
Ille Beato
Nomine claret,
Lumine gaudet,
Quo Hespera Tellus,
Læta superbit,
Victaq; cessit
Infera pestis.
Nectite serta,
Spargite odores,

Immortalitate do nato & Cælitũ Choro ad sempiternum stellæ & sydera diadema & triumphum debent. infra illius merita Flores, qui cito marcent. Autum, quod il le vitrô spreuit Pensiles lychni quod alimento indigent.

Iungite lumen,
Fundite rores,
Lux argenti,
Fulgorq; auri,
Quæ splendentes
Opplent gaZas,
Hæc ramenta
Terræ, aut antri,
Pallent, albent,
Vixq; illucent.
Illi ornabunt
Crines illi,
Cuius spes hac
Pressit, spreuit.
Vos ego vos ô
Crine decoros
Ore cometas,
Igne Planetas,
Nectite serta,
Spargite odores,
Iungite lumen,
Fundite rores.
Quæ laquearibus
Lumina promicāt
Vsq; natantia,
Flamaq; mobilis,
Clausa foratilis
Lāpade, et aureis
Condita pustulis,
Plena epol ulsamis
Diffluæ odoribus.
Vilis adorea hac
Indiga fomite
Cui Calestia,

Immor-

Immortalia,
Dantur gaudia
Stabis gloria.
Vos ego vos o
Crine decoros
Oro Cometas,
Igne Planetas,
Nectite serta,
Spargite odores,
Iungite lumen,
Fundite rores.
Sola triumpho
Inclyta iungant
Sydera currus,
Lucida septem
Astra Trionis,
Plaustra Bootis,
Orbita tantum
Concita currant,
Vecta leone,
Sitq; iugalis
Pegasus alis,
Parrhasis Vrsa,
Taurus & armo
Fortior instet,
Debet, & illi
Omnia Cælum,
Qui omnia Carnis
Cunctaq; sensus
Monstra subegit,
Damna peregit.
Illa Ariadnæa fulgentia serta corona,
Tetrradsent ditentue caput noua sidera luce
Agmine longo,

Suspen-

Suspendat nitido lumine lampadas
Hesperus Cælo rutilans, & alto
Currat lactea melle,
Mella pluat, versisq; pluat vel Aquarius urnis.

N E P T V N O

Potentiori.

QVi Pater alme
Celsa tonantis
Sydera calcas,
Quiq; micante
Lumine fulges
Clarior astris;
Nos ab Olympo
Respice, & alma
Luce tuere.
Qua ipse Viarum
Strata dedisti
Pervia luce,
Cùm horridus olim
Nubibus Aether,
Imbribus Aether.
Picea noctis
Vmbra tenebris
Horrida cunctas
Obruit, absq;
Lumine Cæli.
Ad Phlegetontis
Currimus umbras,
Vides ab alto,
Cymbula vitæ vt

Augumas ab ea luce quę olim noctu circumfulgente visus est. Fol. 4. n. x. ad Icones.

Fracta

Fracta procellis
Vtq; minaci
Sæua minantur
Nubila vultu.
Nubila & inter
Nuncia pacis,
Circinet Iris;
Lux tua & illa
Pulchra colore
Illa propinet
Gemmea gemmas.

AEOLO
Sanctiori.

ORbis stelliferi o Senex
Tādē gaudia possidēs,
Tu nos in mare sæculi
Mersos ne prope deseras.
O qui iam frueris Deo,
Arcanum iubar ingere,
Vndis heu premimur malis
Sæuis undiq; fluctibus,
Nobis Castora tu Pater
Pollucem dabis ignibus.
Quos nec diruere impetus
Ventorū, aut rabies queat.
Sic cernens freta turgidis
Ventis undiq; concita,
Fecisti placidum mare
Olim sanctior Aeolus.

c Neapoli ad E quensem. Vicū enauigabat cū facta oratione etiam ventis im perauit vide in eius vita.

BEATI PATRIS.
Baculus.

INfirmis baculo corporis artubus
Vix sperata salus datur,
Confractisq; iacent ossibus Ilia,
Datq; vnus baculus vires.
Liuet vulneribus vultus ab horridis,
Illo vel facies redit.
O iusto veniens laudis honos viro!
O Diuis rata præmia!
Quæ virga & tremulum ostenderat, & Senis
Rexit corpora tardior.
Hæc nunc syderibus prædicat additum,
Qui nullo senio cadet.

ra ab eius baculo orde in vita eiusdem.

Cuor

CRVOR.

Θαυματουργούμενος.

Vos o pandite laudibus
Aures, quos cupidos tenet
E nomen Sents, & fames,
Laudum materies cruor.
Torquet nec tolerabilis
Quempiam & uteri dolor,
Sanguis vix sacer adfuit,
Cum sanus profugit dolor.
Maret caca puellula
Solis indiga luminis,
Flet, rogat, redit & statim
Amissis oculis dies.
Alter neuritico dolet,
Vix illi obycitur sacri
Theca sanguinis, ut fugit
Illum neuriticus dolor.
Penè viderat inferas
Vmbras, dum crany iacet
Tabo virga dea sacra,
Hoc lata ad socias redit.
Vix cuidam articuli manus
Musculiq; micant, statim
Vitrum, quo tegitur cruor
Et manum, & digitos dedit.
Ori, linguaq; redditur
Afflicta muliercula,
Quod falix prope Sanguinem
Auditur quoq;, dum silet.
Magna, miraq; vidimus
Nos miracula sanguinis,

Vnde cruor ille vide supra in parentali. fo. 19

K *Vnum*

Vnum præ reliquis cano,
Quod vitro viget, & liquet,
Ebullit, salit, it, redit.
Mox gelascit, & inclytum
Despumans obitum notat:
I nec plura recenseas.

CANDORI

Illibato.

QVid sacro infamis puero leana
Lecti lintea diripis?
Nonne calestis niueiq; floris
Lata insignia referunt?
Spreta decumbas iaceasq; victa
Inter fœda cubilia,
Ille vexillum regat, Ille pura
Dextra carbasa ventilet.

Factum omne & ab infami muliere Triumphum habes fo. as in virtutum Tropheis.

PULCRITUDO E COELO.

Faelix, qui exagitans pectore supplici
Cælum, qui lachrymis numina didicit
Pulsare, & precibus prælia tendere
Vincere & superum manus.
Gaudent hi lacrymis vincier illica,
Gaudent hiq; sacris ludere amoribus,
Certant atque suas prodere flammulas,
Et mortalibus indere.
Et te dic quoties, dic quoties Pater
Inuisere Deus, te Deus ipseq;
Et te Pennigerum Caligenum cohors,
Virga teq; purpurea.
Ingressus quoties intima nubium
Affulsere tuo Numina pectori,
Illuxere tua Lumina vultus
Arcanis radijs sacro.
Hospes quid stupeas, si reliquos prait
Virtute, & reliquis pulchrior ANDREAS
Aeterni Iubaris dum radij Seniti
Afflant ingenium & genas?
Si Sol igniuomus lumina dirigat
In cautes picea nocte vel abrutas,
Has mox & rutilas, mox dat & aureas
Facturas alijs diem.
Et noctis gelidæ Lucifer horridas
Dum pellit tenebras, nubila rasitdis
Aurescunt radijs lumine purpurant
Facta & lumine gemmea.

Christ. Illi apparuisse præ filijs hominum pulcherrimum, sacrosq; honores afflasse attigimus sterilis & habetur in eius Vita. quemadmodum quoq; Virgineam Deiparam Apostol. Principes aliosq; Diuum, eumdem sæpius inuisisse. Diximus in Cælestium Amoribus numero IX.

BEATI SENIS

Specilla.

ILla lucidulis specilla flammis,
Quæ vita comites tuendo ocellos,
Beati radios Senis nitentes
Reddebant oculis tenebricosis,
Illa, quæ solita emicare vultu,
Gemelli socij illa lectionis,
Gemelli socij illa scriptionis,
Et sacrificij simul ministri.
Illa post obitum Senis Beati,
Mortis et Tumuli soluta iniste,
Virtutes populis opemq; præstant,
Dant collyria & illa vix probanda
Extinctis oculis cadentibusq;
Diuina o miseris specilla cæcis,
Orbes splendiduli, Beati & inter
Sola gemmiferas locanda gazas,
Sola stelliferis serenda cyclis.
Astra vos superatis, & sereno
Cum noctu rutilant benigna Cælo.
Dent stella radios, micentq; & astra,
Specilla vt radiant pluunt ocellos.

Vide in eius vita circa finem cuius epitomē Castaldus dedit.

ITINERI MENTIS

ἀτέρμων.

DVm Currus cœleri concitus aduolat
Cursus dimidiam conficit & viã
Actum nec spatium nouerat ANDREAS
Consumens itiner prece.
In terris gracili corpore obambulat,
Ad Cœlos animus peruolat arduus,
Rheda non itiner percipit asperum
Mente sydera permeans.
O pergas agilis sydera peruola,
Scande stelliferos Inclite tramites,
Vltra quo venias semper habes Pater
Semper quo teneas iter.

Rem narrat Castaldus in eius vitâ cũ nec animaduerteret quã transiret.

CHARITAS

Patiens.

QVos Christus populos sanguine vindice
Cœlis asseruit, moribus ANDREAS
Queis vltro inuideant Cœlituum chori.
Astris inuehit arduis,
Non hæc Eumenidum fert patiens cohors,
Infensisq; animis prælia concoquit
Nectis vel tacita tempore perstrepens
Illum verberibus premit.
Quid vobis tenebris addita numina
Patris facta quid hæc inclyta displicent?

Illũ a Dæmon. sæpe verberib. impetitum præ fertim cũ Deo aliquem reconciliarat plurics abcondidicimus

Digna

Digna o stelliferis orbibus inseri,
Digna o vel superum choris!
Luci sic tenebræ sic atra lumini
Pugnant: at tenebris clarior emicat
Quo plus abstruitur fulgor, & aurea
Lux è nube serenior.

OBSCURITAS
Illustris.

EXeste hinc Veterum nomina, Imagines,
Exeste effigies, & fumo nigræ
Mendaces tituli, fama nepotibus
Solo nomine clara.
Oris Hic oritur vix bene cognitis,
Et notis oritur vixq; parentibus,
Obscuris atauis, nocteq; ab intima hac
Lucem protulit orbi
Sic nocte exoriens praula nascitur
Solis: sic tenebris exoritur dies,
Non luci officiunt noctis origines,
Non inde est nigrior Sol.

Liquescens Sanguis Charitatis.

ἀποτέλεσμα.

Hospes si cupias videre sacri
Patris prodigia, & Senis Beati
Mira, quæ populis recens cruor dat,
Suspice, & reliquas sileto laudes.
Theca parua sacro cruore fulget,
Gemma splendidior, potens & omnes
Ditare aurinoras vel vno gazas,
Ditare auriferas vel vno messes,
Quas Indus pelago recensq; Ganges
Non incessanti vomunt fluore.
Cum Idus sentit proximas Nouembris,
Et Sol Oceano simul iugales
Mergit, & nimio labore nutant:
Tunc is purpureo liquet colore,
Tunc spumat saliens, reditq; & vltro
Pulsibus micat, is simulq; gaudet,
Gestitq; innumeras referre laudes,
Virtutum geminas salit choreas,
Quas Seni labor & potens parauit
Gratia & Superum fauorq; Diuum.
Nempe ille haud potuit mori, neq; ille
Extingui calor artubus pererrans,
Olim quo populos amauit Ille.

Mira hæc planè mira sed vera quæ testem Neapolim habent.

Beati Senis Cæleste iter.

FErreis currit resonans quadriga
Orbitis laxis rotaq; it lupatis
Prona per Campos Pater vsq; Cælos
Mente pererras.
Ille vix nouit strepitus rotarum
Nescit anfractus iter æstuosum
Per poli ingentis spatium vagatur
Corde profundo.
Qui per & Cælos graderis vel astra,
En doces quantum via distat vna
Quam pererramus pede & inter illam
Quam struit æther.

PROPYLAEVM iuxta Veterum morem festa fronde velisq; inumbrabatur: Coronabantur sertis & ansulis postes bracteis ad auram crepitantibus. Propylæum quod octo pilis erigitur, vti ante diximus, & ostio tergemino aperitur, quatuor loculamentis distinguitur. hæc nostrorum institutorum Imaginibus complebamus. Erat hinc Paulus IV. Pontifex Maximus, idemq; Sanctissimus, eodem quo inter nos habitu amiciebatur; sed qui Pontificiam tiaram manu gestabat multa luce irradiantem. Inde Beatus Caietanus qui nostrarum Constitutionum volumen dextera perferebat. Post Thienæum Paulus Consiliarius. Post Carafam Bonifacius à Colle: ille lilium, hic panem manu gerebat. Quod Bonifacius Diuinam sæpe largitatem plurimis ostentis signisq; expertus sit. Consiliarius quòd se Virginitatem perpetuo illibatam servasse supremo spiritu affirmarit. Supra ostium Beatissimi Senis Imago visebatur, ad Pedes eiusmodi inscriptio sæpius repetita.

Honores Publici
Beato Andreæ Auellino Clerico Regulari
Cælituum Choris adscripto
Ab Vrbano VIII. Pont. Opt. Max. decreti.

P I-

Pllæ fertis onerabantur & corollis; inter hęc eiusmodi Emblemata, quæ Beati Viri virtutes his imaginibus innuebant, Primoq; ferto plurimæ & veluti in aceruum aggestæ Tiaræ & infulæ Pontificum lituí,& cruces confuso quodam numero adglomeratæ quòd oblatas non semel maiori animo Auellinum spreuisse etiam scimus. his hanc epigraphen dedimus, EVEXERE DESPECTA.

Altero quodè Regione suspendebatur, Notissimi hominum Hostes Dæmon Mundus & Caro animas pellicientes sæpe,sæpe illigantes vorantesq; designabatur hoc quoq; Hemistichio SVSTVLERE DEVICTA.

Tertio Emblemate Castitatis adiumenta pingebantur Flagella, Crates,Cilicinæ Vestes. Quibus tale inditum Carmen. INSTRVXERE FORTEM.

Quarto Sacra visebantur Volumina, Precarij Globuli, Crux & quæcunq; sacramentalia vocant Scholastheri Lemma erat. MVNIVERE IMBECILLVM.

Quintum Virtutum veluti Chorum exhibebat; erant illę suis insignibus illustres mutuis innexæ digitis. Hoc plane Hemestichio. OBFIRMAVERE MAGNANIMVM.

Sextum Vina & voluptates expresserat suis notis delineatas, quæ homini sæuissimum illicium faciunt, Beatumq; Virum ad Virtutum laureas properantem perpetuò exercuere: quibus hæc verba indidimus. EXERCVERE INVICTVM. Atq; is fuit Templi totius ornatus.

L PARS

PARS TERTIA
SIVE
RITVS

IAM Q. Beati diei peruigilium aderat, & iuuare gaudia hæc Cælum videbatur planè purum, sudûq; astra solito nitidiora, & aurea, radijs iteratis mictantia. Processeratq; Vespera stella, & lucere desierat, forte (si ludere fas est) nostram Orbi alteri nunciatura lætitiam, cùm ingens Beati Senis Imago Templi tortuscholum spectabili magnitudine exornatura, plurima artificum turba per trochleas suspensa est; Quod dum fieri perspicimus, & quisq; velle ait,

Funemq; manu contingere gaudet.

Rupere statim Aerei tinnitus noctis silentia, explosisq; æneis tormentis, lætissimis, subinsq; teroribus Vrbs tota completa est. Iamq; missiles ignes erratico volatu crispantes noctem infringebant, longis flammarum tractibus à tergo per umbras albicantib., iã lucentes passim faces, & lãpades Templum os exume coronabant, Cùm interim in Aediculam, quæ Templo adiacet conuenerunt Patres, vbi sacra Theca, qua Beati Patris reliquiæ asseruabantur ad altare producta

ducta est, ubi hymnos in eius laudem gestientibus animis, & præ lætitia penè collachrymantibus alternatim cecinimus, mox pro Veterum more Sacræ Vigiliæ, precesq; indictæ sunt, quas ad Auroram vsq; per vices produximus. nempe par erat, vt post ieiunium, quo diem illum exceperamus, & post Carnis afflictationem, ipsam Christianæ lætitiæ parasceuen, piis etiam meditationibus, & immensæ tantarum Virtutum recordatione animas saginaremus. Post cultum eiusmodi vigiliarum, ecce signum quod nos ad preces antelucanas pro more conuocabat in Beati Patris honorem primas. Conuenimus ad illas læti omnes, nemo à peruigilio grauis, nemo oscitabundus, aut deses. Eas vero exeris odæ,quod forte impediuus, & in ipsa Templi area alternante mulcecedine decantauimus. Nocturno quidem titu, sed qui ab illatis luminibus, & sacrarum hymnorum lusu etiam tenebris hilarabat. Deum Immortalem qualibus tunc vniuscuiusq; nostrum animus ad Beatissimi Senis laudes, ad eius nominis indigitamenta, dum caneretur, dum rogaretur piis resultabat impulsibus ad spirationibus, feruoribus æstuabat! Dumq; hæc agimus, & quisq; spiritualibus pene colliquesceret gaudiis, illuxit optata nimium Dies, quam festiuiterum terroribus, & ahenis tinnitibus consalutauimus. Ergo summo mane cum ferè crepusculasceret dies, sacrum Pyxidem ab Aedicula in Templi, pituata quidem pompa, nempe quam nostrates tantum implebant, deduximus, quæ ad Aram maximam inter flores, & vela, faces inter, & lampadas illata, populis data est, vt vota suspéderét, precesq; darét, neq; irritas vt diceruts.

Patauium Vrbs planè inclyta, scientiarum Emporium, & Arx Sapientiæ Sacta, quæ gemino veluti vbere toti Italiæ, Galliæq; & Germaniæ viros alit doctrina, & eruditione claros, armorum gloria illustres. Vrbs artis genio, & Cæli plaga omnium bono data, & si scientias spectes Mundi altrix; Vrbs antiquior, cum ipsa vetustate penè decertans. Illa quoq;, quòd eo terrarum tractu posita sit, vt toti Italiæ initium faciat, Galliasq; & Germaniam pene contingat Gentium, linguarumq; varietate nimium quantum exteros etiam ipsos oblectat. In ea, vt cum Sidonio dicam, quibus nec simile induuium, aut vnus vestium color.

Basterna, Suevus,
Pannonius, Neurus, Chunus, Geta, Dacus, Alanus,
Bellonothus, Rugus, Burgundio, Vesus, Alites,
Bisalta, Ostrogothus, Procrustes, Sarmata, Moschus.

Inde vix Dies superiorem hunc orbem obiurit, cum ecce ingenti populo Templum frequentari cœptum est, & varia hominum natio Aedem complevit. Huc Religiosorum hominum cœtus, huc literatorum, huc militum, & nobilium feminarum, omniumq; ordinum occursus. In quibus qui Vrbi vniuersæ iura dant Veneti Rectores illustri paludamento, & regia purpura flo-

sentes magna nobilium procerum manu stipati, quos beata quędam lętitia, & numen, intimè afficiebat.

Ac dum hi, Aræ maximæ ornatu, & peristromatum luxu caperentur, illos Iconum, Emblematumque distributio, & luminum ordo detineret, singulos vero adspirarent imposita focis thura, quę odoratis nubibus, beatiq; afflatibus ædem omnem euaporabant plane neq; votiuus dumtaxat Vrbis, aut Templi celebritas, & natalitium videbatur, sed Europæ vniuersæ conuentus, & panegyris, qui animis, linguisq; Auellino fauerent, eius gesta concinerent, clausumq; in Vitro puluisculum venerabundi adorarent.

Inclaruit tua hic etiam pietas Marce Corneli Pontifex Religiosissime, etiam vestra in Beatum virum, in nostram Congregationem animi propensio Patres, qui Patauinam Ecclesiam vestris natalibus, & Sapientia decoratis, vestro nomine, & virtute. Quippe adulto vix mane deduxere illi Pontificia in nostram Aedem Pontificem suum illustri pompa, & qua illos decebat sertarum infularum, & vestium ornatu. Rem diuinam Pontifex fecit. Adstitere ijdem Pontificiæ Aedis Canonici. *Tunc* (vt cum Siracide loquar) *exclamauerunt filij Aaron in tubis productilibus sonuerunt, & audita fecerunt vocem magnam in memoriam coram Deo. Tunc omnis populus simul properauerunt, & ceciderunt in faciem super terram adorare Dominum Deum suum, & dare preces omnipotenti Deo excelso. Et amplificauerunt psallentes in vocibus suis, & in magna domo auctus est sonus suauitatis plenus.*

Panegiricam concionem vnus è Prędicatorum ordine habuit doctam, & quæ Beatum Virum, nostramq; Congregationem magnis laudibus prouehebat. Debemus huic Ordini plurimum, debemus singulis ab eo Ordine; scilicet nescio quo pacto ab his laudes libentius accipimus, & ab ingenita prope mutui amoris, & Charitatis flamma, illis libentes damus. Ne posteris sæculis interemoriatur amor hic Patres, ne a memoria obliteretur: Quam iucundus, bonusq; Charitatis is nexus? eo ligamento ceu vestrum agnoscite Vos, quod in nobis amatis, laudatis velut alienum. At quam volens Te quoq; de Auellino Neapoli enarrantem audiuissem Passarine animæ dimidium meæ, oculorum meorũ intimior pupula, siluit Parthenope, illa, illa inquã Sirena, & mirata est. Te pęnas illi decerpsisse suas, tuis leporib. cantus suos infuscasse, a Te, illa a Te

Quam nemo quondam deserebat auditam.

Stupens pependit, tuis capta verbis, pellecta leporibus, sui oblita. Intepuere Dircechæi ignes ad verborum illud fulmen, flumenq; tuum, ad dictionis flores. Nisæi colles impalluere. Plausere omnes; nemo non Beatum Senẽ eum te laudauit, nemo te quoq; in Sene non miratus est. At tandem, & redeo, matutinis sacris peractis meridiem attigeramus, & Pontifex tenui at quod nostra Paupertas non erubesceret prandio a Patribus exceptus est.

Festi

Festi dies reliquum, ceu cogitationũ reliquijs, nostris adolescentibus scholasticis dedimus; vt in Beati Senis laudem integrum illud deducerent; nempe quatergemina Oratio, & Panegyris ab ijs habita est linguarum varietate longè iucundior. Quare horis pomeridianis iterum vndantium populorum conuentus, iterum doctorum, Religiosorumq; præsertim hominum integra fermè collegia. Actus vero sic distributi, Vbi Interpres Latio sermone nonnihil præfatus est, e regione alter Sermone Syro-Chaldæus Beati viri natales contemplatus, eiusq; incunabula, quæ futuræ sanctitatis, Virtutumq; initia ab ijs auspicata fuerint grauis oris, vultusq; compositione enarrabat. scilicet Gens illa syderum apotelesmatis, futurisq; rerum euentibus olim intenta. Sanctissimi Senis Puerituam adolescentiamq; Hebræo idiomate alter graphicè, & non absq; dictionis lepore disseruit, forte quod adolescente mundo Hebræa potissimum dictio audita est. Adultam ætatem, & Senectutem Græcæ eloquentiæ commendauimus, nempe fortia facta, & magnas illius pectoris Virtutes non nisi rotundum illud Græcorum os, neruosumq; dicendi genus, verborumq; splendorem ac maiestatem, qua gens illa iure superbit, deposcebat. Mortem vero, Tumulumq; omnigenis aspersum floribus optabamus, decebatq; vt perpetuis aromatum suffitionibus redoleret; at qui non flores, aut aromata ab Arabia, saltem verba, laudesq; mutuauimus. referebant illa

Violam, Cytisum, Serpilla, Ligustrum,
Lilia, Narcissos, Casiam, Colocasia, Calibam,
Costum, Malobatrum, Myrrhas, Opobalsama, Thura.

Singulis vero per vices, quæ illi exoticis vocibus, ac dialectis edixerant, Latio sermone Interpres excipiebat. Latinas Interpretis partes obtinuit Antonius Mósa Vicétinus. Syro-Chaldæum egit Andreas Sottanus Genuensis. Hebræo sermone loquutus est Stephanus Capraetiam Vicentinus. Græcam panegyrim habuit Petrus cognomento Caietanus, Siculus. Arabicè actum omnem confecit Ludouicus Assonica Venetus. Adolescétes planè, sed qui primos annos Deo non pridem deuouerant, studiorum primitias, multæq; spei plenas nunc Beato Seni volentes consecrarunt. Atq; ea fuit festi dies periodus, & Beati Senis laus, & totius Vrbis læuna.

Verum adfuit nostris his gaudijs Sanctissimus Pater, & prope nos fuit, præsentemq; sensimus tergeminato portento. Fidem faciant, qui hæc passi sunt, vel videre: fingimus nil. Apage a Diuorum gloria mendacia; quid Diui nostris fabulis indigent qui veris gaudijs potiuntur? Vera hæc, & tam vera qualia scribimus; minus credis? adi singulos, neq; in tempora lectorem mittimus; viuunt qui conceptissimis verbis hæc iurant.

Primum ergo beneficium, & animis omnino pijs mirandum Pontificium ministrum tetigit, & quem vocant Ceremoniarum magistrum Aloysium Gol-

diuum

dionum spectati nominis Presbyterum. Nempe is inopinato febriens, noctè totamque Beati Patris peruigilium erat insomnem traduxerat mala capitis, aestuumq; omnium valetudine. ac dolens, quod matutinis sacris minus interesset Beatissimum Senem inclamat, tantùm vt Templū adiret, & Pontifice suū Rē Diuinā ineunte luce facturū iuuaret. Dixit, & statim quies, & somnulus sequutus est, mox expergiscitur, sentitq; illapsam è Cælo opem, irrigatosq, artus noua sanitate. Vestes deposcit, negant Parentes, iubentq, illum lectulo vsq, decumbere; at surgit ille sanus, lætusq; festis rubus stat, partesq, suas lætus obit, nec deinceps rigor vllus, aut labes.

Eo beneficio Beatissimus Senex ante-lucanas horas, & Peruigilium veluti consecrauit. Dedicauit Meridiem altero lōge illustriori. Andreas Cauatius Vrbe tota notus cęmentarius, & architectonicę artis non ignarus mensibus ferme duobus ingenti armorum dolore sic torquebatur, vt corpus non nisi fulcris perreptaret, idq; etiam vix. Ergo ipso die cum Missarum solemnia celebrarentur, & sacros tinnitus, æneaq; tormenta explodi exaudiret rogat quænā ea sint lætitiæ signa. Respondit vxor virum Sanctum è Theatina Congregatione Beatorum catalogo nuper adscriptum iis festis celebrari. Ille vxorem illarum, in Templum mittit pro se rogaturam. Interim puellulos quinq; quos domi habebat ingeniculare iubet, Beatumq; Virum pro se exorare. Orant, & palmulasq; in Cælum innocentes tollunt, cum iis ipse, qui fide ingenti fulcra moxabijcit, mirum dictu. Fidem sequitur miraculum, & ecce se leuat articulos erigit, inflectitq, Beatum magnis vocibus inclamans: idem faciunt qui adstant puelluli; redit Vxor, Coniugemq, suum sanum reperit, & incolumem, domūq, totam insperatis gaudijs hilaratam. Mox in Templum suis pedibus nullo baculo innixus cum vxore etiam venit, gratesq; Beato rependit, & acceptam è Cælo salutem cunctis predicat.

Attigeramus Solis occasum, lætamq; vesperam, quam Beatissimus Senex tertio ostento decorauit. in eo non vnum testem, aut alterum aduocabo sed Tēplum ipsum quoq, id aduertère; plane mirandum. dū Res Diuina à Pontifice peragebatur, Cerei templum omne in unè coronabant, qui sacris peractis etiam extincti sunt. Vnus, qui ante Beati Patris vultum collucere e regione videbatur, casu, an volente Numine relinquitur, & ardet toto ipso die, quid hic? alter alterum sciscitatur an toto die cereus ille arserit; quippe ordo ille luminum, qui templum omne percurrebat minime horis pomeridianis accensus est. solusq; cereus ille exilis admodū, videbatur illucere, quare duplex hic admiratio, & incuriæ obliuionisq; non absq; Deo, vt abeuentu licet æstimare: & perpetua integri diei flamma, cùm alij iam ad imum desijssent, illo vix consumpto. scilicet id voluit Deus, vt occidente Sole Lucis ostentum Dieto lętiss. clauderet, quo nullis sęculis desituram Beati Viri Gloriam demonstraret.

Per

Per octauam etiam eiusmodi beneficium acceptum referimus. Puellula erat miserè a Dęmone vexata; Mater diu dolens pro filia nostros adit opemq; poscit, pręsertim vt sacri corporis frustulum aliquod, aut puluisculum supra puellam imponerent. illi ampullam vitream dedere aqua plenam, cui Beati Auellini ossiculum infuderant mater Sacra ea Lympha diues domum repedauit, & aquam illam potui immiscet, vt puella ex ea bibat. Accersitur sęcularis quidam Sacerdos, qui sacris quibusdam carminibus virginem illam ad id compelleret. bibit tandem puella, & cum tertio id faceret, malus Genius occultam illam vim, quam ex aqua sentiebat, non amplius sustinens, fremens, ac discerpens abscessit. integraq; & incolumis puella remansit, quæ Beatum vna cum matre in Templo etiam adorauit. Hęc Senex Beatissime in nos stans horis beneficia è Cęlo depluebas. planè vt ostenderes, quæ hic agitabamus festa Te Cælo non dedignari.

Dum Te sydereo cingunt diademate crines,
Dum nullis vnquam dilapsa volubilis æui
Gaudia deficiunt spatijs, dum millia surgunt
Templaq; & irriguo fumant altaria thure.

Agnouimus ostentis his veteris in nos amoris inter sydera non emorientis argumenta, post funera, & Cineres Charitatis incendia minimè subsidere. Interim quoq; etiam me aspice Pater, Ego, ego ille, quem dum viueres etiam amasti, cum in Congregationem ingrederer audisti, audisti Pater, & lętatus es; Nomen, Gentemq; sciscitatus, sciscitatus Patriam, & indolem Me miserum quàm longe a spe illa absum, ab ea virtute, quam narrauere alij, aut animo conceperas diffideo. Si è Cælo virtutem irrorabis, etiam id scribam; & qui in alios tua hęc admiranda stylo excepi, & atramento, quæ in me conferes scribam auro.

Laus Deo.

Patauij, Apud Impress. Camer. 1625.
Superiorum permissu.

3	lateq; carum	lateq;, nec carum
5	zognatumq; æther	dognatumq; æthera
5.6.7	Honoris	Honores
8	reddit	retundit
13	phemulcere	permulcere
16	citara	cithara
17	offenderet	o fienderet
22	nonnihilumminuen	nonnihilumminuent
28	illum	illam
31	vn tum	votum
32	Icona	Ieiuna
35	dicidere	didicere
42	Reclusisse iunit	conclusisse munit
45	lauserat	hauserat
57	Ode	Odæ
62	exciptet	excipiat
63	despecent	dispotenunt
64	Andreas hæc oculis	Andreas oculis
64	Falfe	Falsæ
65	nullu	nulla
67	necciee ferta,	nectere ferta,
68	Spes	Pes
71	nobis	nobis
78	ovde	vide
81	quam	quæ
82	niridiora	nitidiora
83	tenebris	tenebras
84	in nostra	in nostram
85	forme	ferme
86	Pontifice	Pontificem
86	Iesus.	Iesissimum
87	imnuscon	immisceat

277.1

5851575

277.1